



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 37. Treveriensis Elector huic nominationi obluctatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

§. XXXVII.

Sæcul XVI.
A.C. 1519.*Trevirensis Elector huic nominationi
obliuatus.*

Solus obstabat Trevirensis Elector, Richardus de Greiffenclau, seu Greiffencloe, qui Francisci partes propugnans contendit: Si externum, inquit, præ indigena probamus Imperatorem; nihil est, cur Hispanum Gallo præferamus? Etenim si Carolo ad legis nostræ, qua obstringimur indigenis, integritatem sufficit, earum possessorem Provinciarum esse, quæ nostri censentur imperii: Franciscus & Insubriæ, & Regni Arelatensis, Reipublicæ nostræ membrorum Dominus, pari juris suffragatione contendat: quare autem ita metuimus Belgio, nil ad Imperium, Germaniamque præter aliquam linguæ communionem adferenti, nullo cum Belgis fœdere juncti sumus, nec ipsi Imperii legibus, Majorumque nostrorum institutis, ac moribus vivunt. Faciemus nunc Carolum Imperatorem esse, Deum immortalem! quales, quantosque in Italia motus concitabimus? Mediolano ille ante omnia possidendo, & animum, & manus adhibebit, Neapolim adversus Gallorum impetus tuebitur, bellis, & diuturnis & cruentis pulcherrima Europæ pars jactabitur, Turcis in Panoniam, atque ipsa adeo Imperii viscera patebit aditus. Ele-

H h 3

ctor

Sæcul XVI.
A.C. 1519.

ctor hanc suam oppositionem verbis declarasse haud contentus, in Electorali quoque collegio eandem contra nominationem a Friderico nuper factam scripto interposuit. Ast flocci habebatur illius repugnantia.

§. XXXVIII.

Electio Caroli in Cæsarem.

*Spond. ad an. 1519. n. 2.
Platin. de vit. PP. in Clement. I V.
Nord. hist. Fior. lib 6.
Joan. Ant. Vera hist. Carol. V. p. 23.
Rayna'd. u. 29.*

Ergo Carolus Hispaniarum Rex nondum vigesimum ætatis annum emensus in Cæsarem eligitur die vigesima octava Junii anno millesimo quingentesimo decimo nono, ac paucis post diebus Tre-virensis quoque Elector Carolo accesserat, sive quod Franciscum I. aucupandi Imperii spe dejectum cerneret, sive quod novi Cæsaris indignationem pertimesceret. Eodem tempore Cajetanus Cardinalis, qui tum præsens aderat, Neoelecto Cæsari commentitiæ (*) illius legis gra-

(*) *An aliquis Princeps directus cujusdam Regni Dominus diplomati, quo in alium Principem ejusmodi Regnum jure fiduciario transfert, conditiones asponendi jure careat, atque talis conditio lex chimerica, atque commentitia dici queat, nullum certe, qui id cum Continuatore asserere audeat, reperire erit; id exploratum habemus Carolum I. Siciliæ Regem*